



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

82. Fer 6. Septem avulsiones Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Feria 5. Dom. 1. Quadrag. 133

2. Iunctura extracta de compagibus.
3. Ossa laniata.
4. Manus & pedes fetro confixi.
5. Mens turbata.
6. Cor novo dolore affectum, qui eò de venis perforatis processit.
7. Intestina ad dorsum contracta, & sicut sanguis infirmi in omnibus venis siccat, & consumitur, sic ex dolore naturali mortis, sanguis meus consumebatur.

An non igitur merito cœperit tēdere, contristari, pavere, & moestus esse, habitis ante oculos quatuor septenarijs dolorum, hætenus ad meditandum propositorum? Quisquis ad victoriam sui hostis interni ingreditur, sic luctetur oportet.

MEDITATIO LXXII.

Feria 6. Dom. 1. Quadrag.

Septem avulsiones Christi.

Videbo quomodo Dominus progressus pusillum Matth. 26. volebat longè fieri ab illis, ut viderent orantem & afflictum, & discerent humilia de se sapere, & orare sollicitè; quem progressum Lucas vocat avulsionem, quia æquè ab ijs discedebat, ob amorem, & moerorem tanquam vi avulsus; natura enim solatium quærebat ex societate charissimorum Discipulorum, sed ratio exige-
bat,

134 *Feria 6. Dom. 1. Quadrag.*

bat, ut orationi se daret. Petam agnoscent
septem dolorosas Christi avulsiones, & gra-
tiam ei me conformandi.

1. Avulsa sunt à Christo omnes creaturae:
nam fuit ab omnibus derelictus.

2. Apostoli à Christo avulsi: qui omnes
relieto eo fugerunt.

3. Avulsus à Christo Petrus: qui eum pla-
nè negavit.

4. Avulsa Virgo B. ante Passionem Filio
suo valedicens, ut refert D. Bonavent. cap.
72. Vitæ Christi.

5. Avulsi sūt Angeli, quos majori numero,
quàm 12. legiones habere potuit, sed deseruit.

6. Avulsus ipse Deus Pater, à quo se cla-
mat derelictum.

7. Corpus Christi ab anima ejus in mor-
te avulsum est. Certè, inquit D. Bernar. serm.
43. in Cant. *videntes angustias Domini levium
vestras portabitis.* Videntes eum timentem,
Cornelius habet *gementem*, Albertus M. legit
rugientem præ derelictione.

MEDITATIO LXXXIII.

Sabbato Dom. 1. Quadrag.

Septem Lanceæ B. Virginis.

Videbo B. Virginem tam acri dolore septe-
no transverberatam, ut lanceis confixa
videri posset. Petam agnoscece hos dolores,
sique compati.

Conf.